

5+6/86

KALENDIS IUNIIS

MCMLXXVI

RMOR VARIVS
RMOR VARIVS I
RMOR VARIVS F
RMOR VARIVS F

RMOR VARIVS

RMOR VARIVS
RMOR VARIVS
RMOR VARIVS

TOMUS 9

FASC. 59

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADis
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 20.--
In Austria	öS 140.--
In ceteris Europae terris	Fr. 20.--
In terris trans maria sitis	U\$ 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Udalricus Aeschlimann
Martinus Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 20.--
Oesterreich	öS 140.--
übriges Europa	Fr. 20.--
Uebersee	U\$ 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulrich Aeschlimann
Martin Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

De conventu annuo a sociis operis Turici nuper habito

Egregii legentes

Die III^o mensis Maii collegae RVMOREM VARIVM edentes
sessiunculam nostram annuam Turici in aedibus AKADis
habuimus. Quo in conventu aderant socii nostri Dr. Emanuel
Bernard, Dr. Guarnerius Fridericus Ebel(ius), Danielis
Weissmann Martinusque Meier, domina Barbara Maier, Dr.
Georges Durtschi rector scholae AKADis, qua RVMOR VARIVS
semper subsidiis alitur, et ego, qui omnes socios ad
sessiunculam ineundam invitaveram.

Hic conventus - ut iam cuncti priores habiti - maxime
laetus evēnit. Initio enim Dr. Ebel(ius), quem auctorem
multarum fabularum RVMORE VARIO adhuc divulgatarum "AMICUM"
nominatum novistis, allocutione sua "De cohorte praetoria
pontificia Helvetica" omnes delectavit. Orationem eius huic
fasciculo inscriptam invenietis! Vertite paginas, legite et
gaudete! Quid moror? Hac oratione audita maximo plausu
honorata tractavimus quaestionem, quomodo efficeremus, ut
numerus eorum, qui nobis symbolas Latine compositas RVMORE
VARIO publicandas mittunt, futuris temporibus semper
augeatur. Postquam per unam fere horam disputavimus, de-
crevimus, ut futuris temporibus cuique auctori symbolae
nobis missae Latine compositae, quae RVMORI VARIO imprima-
tur, praemium formā pecuniae sive aeris solvatur. Martinus
Meier vobis in praesenti fasciculo singula ad hoc decretum
pandit. Speramus eos inter vos, cari legentes, qui adhuc
nobis symbolas Latine compositas mittere ausi non sint, hoc
decreto adiutos bonum animum capturos et futurum esse, ut
se auctores fabularum Latine compositarum et exercent et
praebeant!

Prima parte sessiunculae expedita, qua res ad fasciculos
RVMORIS VARIII pertinentes tractaveramus, ad secundam partem

conventūs transgressi sumus ex aedibus AKADis in deversorium vicinum, ut animos disputationibus delassatos vino dulci sive aqua minerali restitueremus. Quo conventu denuo apparuit, quanta vis insit studio et amori Latinitatis quantamque amicitiam conciliare possit inter homines habitantes in terris Europae a patria nostra quamvis remotis.

Curate, ut valeatis, cari amici, qui hunc libellum legetis. Feriae aestivae vobis felices laetaeque eveniant! Cordialiter vos saluto.

U. Aeschlimann

Udalricus Aeschlimann

Dabam Turici, die XXX^o mensis Maii anno MCMLXXXVI^o



De nivicandida et septem nani

Narrationis pars prima

Grimm fratres permultas fabulas iucundas scripserunt. Hodie vobis fabulam pulchram de Nivicandida in linguam Latinam translata narratura sum.

Media hieme nix alba specie pennarum e caelo cadebat. Regina ad fenestram regiae sedens diligenter suebat. Casu digitum suum acu pupugit et tres sanguinis guttulae nivem albam rubefecerunt. Regina "Utinam mihi nasceretur" inquit "puella candida ut nix, rubra ut sanguis et atra modo ebeni fenestrae huius." Paucis diebus post filia reginae nata est ut mater optaverat et Nivicandida nominata est. Regina autem e vita decessit. Rex regionis huius, puellulae pater, anno proximo reginam alteram in matrimonium duxit. Erat autem mulier superba. Pati enim non poterat, ut aliae

feminae pulchriores essent. Itaque persaepe speculum consulebat: "O specillum," inquit "estne femina aliqua me pulchrior?" Speculum autem semper respondebat: "O regina, tu omnium mulierum pulcherrima es."

Nivicandida iam septimum annum attigerat. Erat puella sane formosa. Qua re sollicitata regina speculum consuluit: "O specillum," ait, "estne femina aliqua, quae mihi pulchritudine praestet?" Et speculum: "Heu regina," inquit "formosa certe es, sed Nivicandida te est pulchrior." Odio commota regina unum ex venatoribus regiae ad se vocavit. Iussit eum puellam in silva interficere et iecur et pulmones eius domum referre. Venator puellam secum in silvam duxit, sed misericordia adductus Nivicandidam non necavit. Interfecit pro illa pullum suis et iecur pulmonesque bestiae reginae attulit.

Nivicandida misere per silvam errabat. Vesperi pervenit ad domunculam, quam ingressa est, ut quieti se daret. Omnia in domuncula parva erant, sed maxima munditia disposita. In mensa erant septem catilli et septem pocula, ad haec septem ligulae et septem cultelli. In cubiculo erant septem lectuli. Nivicandida fame sitique vexata aliquid cibi ex unoquoque catillo sumpsit et aliquid vini ex unoquoque poculo bibit. Nulli enim convivarum puella detrimento esse voluit. Tum cubiculum intravit et aliquo lectulo accubens obdormivit.

Sub noctem nani septem, domunculae domini, qui cottidie in montibus metallum quaerebant, domum remeaverunt. Statim intellexerunt aliquem domum intravisse et ex cibo suo edisse. In cubiculo autem Nivicandidam somno captam invenērunt. Sed eam somno non excitaverunt. Sub lucem laeti ad eam salutandam venerunt. Puella nanis de noverca pessima narravit. Tum nanorum natu maximus: "Visne nobiscum manere, puellula, et res domesticas curare?" Puella sane laeta: "Libenter vobiscum manebo, amici." Et profecto omnes res optime agebat.

Regina autem semper inquieta specillum interrogavit: "O specillum, estne femina, quae mihi pulchritudine praestet?" Et specillum: "Heu regina," inquit "pulchra certe es, sed

Nivicandida, quae nunc apud nanos septem vitam in silvis agit, tibi pulchritudine praestat."

Quae cum regina audisset, ira incitata consilium cepit, ut ipsa puellam interficeret. Venditricis more induta in silvam intravit et ad domum nanorum pervenit. Ibi voce senili exclamavit: "Quis a me misera aliquid emet?" Nivicandida ianuam ei reseravit et fasciam pectoralem pulcherrimam emit. Noverca autem vittas fasciae pectoralis ita constrinxit, ut Nivicandida exanimata procideret. Noverca pessima contenta domum remeavit. Nivicandida autem fortunā secundā usa est. Vespere nani puellam vittis spoliaverunt et e morte eripuerunt.

(reliqua pars sequetur)

Barbara Maier



NON DRET!

His verbis toto in orbe notissimis Vespasianus imperator olim filio suo Tito rogante vectigalia latrinis publicis imponenda defendisse fertur. Vos, lectores carissimi, non latrinis, sed Latinitate pecuniam merere poteritis, nisi veriti eritis textus quospiam - dummodo Latinos! - RVMORI VARIO divulgandos mittere.

Concessu enim die 3^o m. Maii anno 1986^o habito collegium redactorum RVMORIS VARIII statuit,

- ut inde a numero 5+6/86 commentariorum nostrorum tribuerentur quinquageni centesimi Helvetici (Fr. --.50) lineae unicuique in RVMORE VARIO divulgatae;

- ut non tota linea tantum, sed etiam incepta numeraretur, quam si esset tota;

- ut praemia solverentur bis in singulis annis, i.e. die 30^o m. Iunii et die 31^o m. Decembris, primum autem die 31^o m. Decembris anno 1986^o;

- ut praemia tantummodo solverentur eis, qui viginti lineas vel plures composuerint (exemplum afferam: Lectoris Y. carmen decem linearum divulgatur mense Octobri. Die 31^o m. Decembris nihil obtinebit Y. Mense Martio iterum carmine decem linearum divulgato die 30^o m. Iunii decem francos Helveticos (Fr. 10.--), i.e. vicies quinquaginta centesimos, accipiet);

- ut de textibus seu divulgandis seu non divulgandis neque scriptorie neque telephonice disputaretur.

Quid nunc censetis? Nonne vobis RVMOR VARIVS non fons tantum Latinitatis semper fluens esse videtur, sed etiam cornu quasi Fortunae uberrimum?

Stultus ergo, qui non stilo capto statim textus componat Latinos! Imprimis discipulos diligenter monemus, ut modestia falsa deposita ea Latine expriment, quae eis cordi sunt. Nolite errores, menda, lapsus timere, sed audete! Qui ausus erit, vincet, ut aiunt Germani!

Martinus Meier



Graecorum philosophorum sententiae

Interrogatus, cur a se dicta sibi ipsi non prodessent, Bion: "Etiam pyxides medicinas saluberrimas continentes," ait, "ex iis utilitatem non capiunt."

Interrogatus ab Aristippo, quid e philosophia proficeret, Diogenes: "Dives esse," inquit, "nullum obolum possidens."

Neque bene neque male vulgus tractandum esse dixit Theophrastus: Male tractatum semper recordaturum, bene tractatum statim obliturum esse.

Eucleides philosophus interrogatus, quales essent dei et quibus delectarentur, respondit: "Cetera ignoro, sed cupidos rixandi iis odio esse certe scio."

Exprobranti, quod non Atheniensis esset, Diogenes: "Etiam leonem Atticum vel Corinthium nemo adhuc vidit," ait, "et tamen non minus nobile illud animal est."

Socrates, cum videret aliquem, qui alii post alium nimis prompte gratum faciebat et summis serviebat, ei dixit: "Male pereas, homo improbe, quia Gratias, quae virgines sunt, scorta fecisti."

Suasit Pythagoras aut silere aut aliquid melius silentio loqui.

Socrates, cum in symposio vinum effundens ab aliquo vituperatus esset, quod vinum perderet, respondit: "Sin vinum ebibo, non modo ipsum perit, sed me quoque simul perdit."

Maledicenti proditori Theodectes: "Gaudeo," inquit, "quod inimicus mihi factus es; non enim inimicos, sed amicos male tractas."

Importune garriente aliquo Socrates: "Melius est pede dilabi quam lingua," ait, "illo enim vestis sordescit, hac homini ipsi saepe in perpetuum ignominia infertur. Illi aqua medetur, sed dictum indictum fieri non potest."

Aristippus, cum Plato eum aegrotantem visitaret et interrogavisset, quomodo valeret, dixit hominem studiosum et febricitantem bene, inertem et non febricitantem male valere.

Cum quis Diogeni dixisset: "Tu, qui non philosophus sis, tibi asciscis philosophus esse," ille respondit: "Sed ea parte melior sum te, quod philosophus saltem esse volo."

Rogatus, quid sit difficillimum in vita, Aristoteles dixit: "Tacere."

Ariston divites et parcos homines similes esse mulis dixit qui aurum et argentum ferentes herbis faenoque vescantur.

Interrogatus, quid sit mirum in vita, Aristippus: "Homo

probus et moderatus," ait, "qui cum improbis multis versans non se convertit."

Anacharsis ab aliquo interrogatus, quid sit maxime infestum hominibus, respondit: "Ii sibi ipsis."

Daniel Weissmann



DE COHORTE PRAETORIA HELVETICA PONTIFICIA

(vulgo Italice: Guardia Svizzera pontificia)

Oratio sive Acroasis AMICI sodalis Berolinensis Turici in oppido die Saturni – septem feria – III^o mensis Maii – anno ab incarnatione Domini Salvatoris Redemptorisque MDCCCCLXXXVI^o, occasione consessus annui Societatis Latinae Turicensis habita.

Sodales, socienni, soldurii! – Confoederati!

Primum vobis, o sodales, grates laudesque agere persolvereque sincerrimas pro invitatione mihimetipsi sodali natione Germano ortuque Berolinensi tam benevole enuntiata tributaque hoc omnibus viris vere Helvetiis loco sacrosancto Turici in oppido propalam apud vosmet orationem habere. Oratiunculam autem confeci atque commentatus sum de rebus praesertim Helveti(c)is, quibus vosmetipsos, o sodales, paululum delectatum exhilaratumque iri confidenter spero, id est de cohorte praetoria Helvetica pontificia. Salutationibus autem fraternis invicem inter nos datis redditisque nunciam ad propositum et ad rem ipsam tractandam transire, o sodales, meum esse puto (officium).

Papa autem Iulius II (antea: Iohannes de Robore, vulgo Italice: Giovanni della Rovere, 1443–1513), filius

Raphaelis de Robore, nepos Sixti IVi papae (antea: Franciscus de Robore, 1414-1484), anno 1505° quondam pactionem quandam iniit cum oppidis Helveti(c)is Turico et Lucerna; et quae cum ita sient res re et veritate Iulium IIIm papam auctorem fundatoremque fuisse cohortis praetoriae Helveticae pontificiae putare potest. Fundamentum sane quidem nimirum principiumque hodieque valens est conventum contractumque Leonis XIIIi papae (antea: Hannibal Senioris Matthaei de Genga, 1760-1829), qui anno 1827° "Criticism rationis purae" Immanuelis Kantii philosophi illius Germani facul grandissimi in Indicem librorum prohibitorum referri iussit, anno 1825° cum Lucerna confectum, a Pio autem IX° papa (antea: Iohannes Maria Mastai-Feretti, 1792-1878) anno 1850° denuo fide confirmatum stabilitumque. Summa autem cohortis praetoriae Helveticae pontificiae militum, cui solum custodia in Vaticano ipso atque tutela suae sanctitatis papae ad curam pertinet, numquam excessit numerum 250. Secundum etenim praescriptam officii rationem (vulgo Theodisce: Dienstvorschrift) Pii XIIi papae (antea: Iosephus Melchior Sartor, vulgo Italice: Giuseppe Melchiorre Sarto, 1835-1914) anno 1914° institutam decretamque cohors praetoria Helvetica pontificia constitit ex sex officiariis (seu praefectis militum), quindecim subofficiariis (seu subpraefectis militum) atque 115 militibus bipenniferis (vulgo Italice: alabardieri, Theodisce: Hellebardiere, Helmbartenträger). Anno autem 1959° sub pontificatu Iohannis XXIIIi papae (antea: Angelus Iosephus Roncalli filius Iohannis Roncalli, 1881-1963) numerus cohortis praetoriae Helveticae pontificiae ad 100, anno autem 1965° sub pontificatu Pauli VIIi papae (antea: Iohannes Baptista Montini, 1897-1978) ad 75 erat reductus. Praescripta autem officii ratio nova (vulgo Theodisce: neue Dienstvorschrift) ex anno 1975° providet statum cohortis debitum (vulgo Theodisce: Sollstärke) 100 milites summa summarum, sed status verus cohortis in instanti tempore (vulgo Theodisce: gegenwärtige Iststärke) nunc sub pontificatu Iohannis Pauli IIIi papae (antea: Carolus Iosephus Wojtyła, vulgo Polonice: wojt = praefectus regius

aut magister pagi, vulgo Germanice: Landvogt, Schultheiss) anno 1920° nati explet numerum 65. Dies autem festus cohortis diesque adactionis iuris iurandi tironum est dies VI mensis Maii quotannis, dies autem anniversarius sacci qui dicitur Romae. Die enim Veneris - sexta feria - VI° mensis Maii anno 1527° vi impetuque expugnaverunt cupiditatibus effrenati milites mercennarii seu conducticii imperiales Caroli VI induperatoris, 1500-1558, filii Philippi Venusti regis Castiliae uxorisque Iohannae Delirae, iussu Caroli IIIi ducis de Borbonio atque Monte Panticario (vulgo Francogallice: Charles III, duc de Bourbon et Montpensier) Romam, totaliter urbem diripuerunt, spoliaverunt, vastaverunt atque populati sunt. Carolus autem III dux de Borbonio atque de Monte Panticario, die Mercurii XVII° mensis Februarii anno 1490° Monte Panticario in loco Francogalliae natus, in fronte seu acie exercitus mercennariorum Germanorum Hispanorumque oppugnavit urbem, sed iam primo impetu in acie cecidit die Veneris - sexta feria - VI° mensis Maii anno 1527°. Copiae autem mercennariorum seu conducticiorum duce nunc orbatae vi caecoque impetu urbem expugnaverunt et eo magis eam vastaverunt. Urbicapi depeculatores per menses fere novem usque ad diem Veneris - sextam feriam - XVIIIm mensis Februarii anno 1528° in urbe saeviverunt. Saccus autem qui dicitur Romae (vulgo Italice: sacco di Roma) sub pontificatu evenit Clementis VIIIi papae (antea: Iulius de Medicis, vulgo Italice: Giulio de' Medici, 1478-1534), filii non iusta uxore nati Iuliani de Medicis (1453-1478). Die autem initii sacci qui dicitur Romae in urbe ipsa 147 milites bipenniferi cohortis praetoriae Helveticae pontificiae defensores Vaticani pro papa et ecclesia mortem oppetiverunt claram, quorum memoriam nulla umquam oblivio delebit.

Milites autem cohortis praetoriae Helveticae pontificiae usque adhuc vestitu eodem militari sunt ornati, quem tum forte - ut fama fertur - Michael Angelus de Ludovico Bonarotti Simonis, vulgo Italice: Michelagnolo di Ludovico Buonarotti Simoni, 1475-1564, filius Ludovici de Leonardo

Bonaroti Simonis (anno 1531° obiit diem extremum) atque Franciscæ uxoris (die Iovis VI° mensis Decembris anno 1481° mortem obiit), artifex ille Italus facul maximus grandissimusque, ipse delineavit.

Milites bipenniferi cohortis prætoriae Helveticæ pontificiæ hodieque unici sunt milites Helvetii, qui peregrini pedibus stipendia merere et principio iuris et contractu bilaterali statuum inter Confoederationem Helveticam atque Statum Civitatis Vaticani (vulgo Italice: Stato della Città del Vaticano) concessum iusque potestatemque habent.

Quibus rebus naviter expositis id namque, quod erat propositum, satis superque demonstravisse videor. Haec autem habui, o sodales, de his rebus quæ euscheme prothymequè vobis dicerem.

Macte virtute, confoederati Helvetii, et protinus este! Dixi!

AMICUS



Facete lepideque dicta

De origine Helvetiorum parvorum

Liberi tres, qui a terris diversis in ferias aestivas convenerunt in litore ludentes de origine hominum disputant.

Puer Germanicus: "Apud nos", ait, "omnes pueri neonati per ciconiam apportantur." - "Ehem! At in Gallia amore nascuntur", reddit puella Narbonensis, "matercula ipsa mihi sic narravit."

Puer Helveticus eos audit et consideratus tacet. Rogatus, quomodo ista res fieret apud Helvetios, tandem respondet: "Difficile dictu, quia rationes in quoque pago differunt."

Ursula Schwenk

Exspectiones dubiæ

"Atque quomodonam in praxi tua nova omnino succedunt res omnes?" - collega senior interrogat iuniorem. Tum medicus iunior: "Gratias tibi ago maximas, o mi collega, nam ante meridiem (tempore antemeridiano, horis antemeridianis) re et veritate nemo venit, et post meridiem (tempore postmeridiano, horis postmeridianis) frequentia (aegrotorum) vel etiam graviter imminuitur!"

* * * * *

Medici inter se

Medici autem, alter medicus morborum muliebrium seu gynæcologus atque artis obstetriciæ peritus, alter medicus morborum internorum peritus, inter se de filiabus eorum colloquuntur confabulanturque. Tum medicus gynæcologus medicum morborum internorum interrogat: "Quid nam tibipte videtur, collega mi optume, itane mihi properato opus sit cum filia mea etiam accurate de omnibus his rebus difficilibus sexualibus colloqui?" Tum collega: "Ut egometipse aestimo," inquit, "de mea sententia id sane quidem necesse esse non arbitror, nam illa temetipsum in his rebus delicatis aliquid novi docere sine dubio non posset, nam tute tandem es in his rebus medicus specialis qualificatus!"

AMICUS



SOLUTIONES

aenigmatis, quod vobis in RVMORE VARIO 3+4/86 proposuimus, hic demonstrantur:

¹ A	² R	³ A	⁴ R
² R	E	G	O
³ A	G	E	S
⁴ R	O	S	A



Aenigma

QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST! QVOQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA KALENDIS AVGVSTIS EST!

PRAEMIA SVNT: primum praemium LIBER
secundum et tertium praemium LIBELLVS



ad libram

- | | |
|---|--|
| 1 operam dedimus | 36 existimo |
| 12 qui agros aratro subversuri sunt (Abl.) | 38 in agris laboravimus |
| 13 causa | 40 flexus |
| 15 Titus | 41 coniunctio |
| 16 migras | 43 cotidianus, vulgaris |
| 17 in agris laborabunt | 47 hominum Redemptor |
| 20 pronomen demonstrativum | 49 miles Romanus eo utebatur (Gen.sg.) |
| 21 coniunctio | 50 pronomen possessivum |
| 22 agri colendi | 51 conveniret |
| 23 numerus 950 | 53 domus Romanae pars |
| 24 permittat | 55 utilis ad lavandum |
| 25 animi motus | 57 articuli |
| 26 oppidum antiquum in Sicilia situm nunc Colonia nominatum | 58 numerus 50 |
| 28 oppidum antiquum in Campania situm | 59 poeta antiquus |
| 30 cf l6 | 62 intra |
| 31 fluctus (Acc.pl.) | 63 solum, unicum |
| 32 "sanctus" brevi modo scriptus | 64 metallum (Gen.) |
| 33 utrum...? | 66 hoc modo "Inn" fluvius a Romanis appellabatur |
| 34 numen (Dat.sg.) | 67 commoratio |
| | 68 coniunctio |
| | 69 meus: Voc.sg. |


ad perpendicularum

- | | |
|---|---------------------------------|
| 1 utiles sunt ad muros aedificandos (Dat.) | 4 tempus vacuum |
| 2 existimant | 5 agricolis |
| 3 poetae iocantes hoc vocabulo pro "at" utebantur | 6 bestiola rete optime nec-tens |
| | 7 mariti (Acc.) |

- | | |
|---------------------------|---|
| 8 pronomen demonstrativum | 14 noli movere! |
| 9 numerus 1000 | 18 avi coniunx (Acc.pl.) |
| 10 ulula clamat | 19 vocabulum linguae Gallicae sedem significans |
| 11 permittite! | |



- | |
|---|
| 23 laudibus elatas |
| 27 controversia (Abl.sg.) |
| 29 oppidum pervetus Latinum (Locativus) |
| 34 aedes |
| 35 auxilium |
| 37 satis parvus |



38 provincia Romana in Gallia	48 insula magna maris nostri
sita	52 prodigium
39 gens Germanica (Gen.pl.)	54 migravi
42 Cimbri et	56 par....referre
44 novus miles	60 infimam
45 nutries	61 homines brevissimae statu-
46 Sol deus quoque eo modo	rae (Abl.)
appellabatur	65 Inachi filia a Iove amata

Hoc aenigma discipulae classis quartae gymnasii Theresianum/Ingenbohl ultimis horis ante ferias composuerunt.

DE MULIERIBUS VIRISQUE SANCTIS HELVETICIS

De Mauricio eiusque legione

Longe abhinc terra sita est, quae vocatur Aegyptus. Suprema in ea terra urbs maxima olim erat, cui nomen Thebae. Marcus ipse evangelista ibi evangelium Iesu Christi praedicavisse fertur. Qua de causa multi Thebarum incolae Christiani facti erant.

Diocletiano autem et Maximiliano Romae imperantibus statutum est, ut fides Christiana funditus exstingueretur. Toto in imperio Romano milites conscripti sunt, qui imperatores adiuvarent populos seditiosos debellare.

Mauricius quoque, Thebarum incola nobilis, cum MMMMMDCCLXVI comitibus Romam profectus est, ut imperium quidem protegeret neque vero contra fratres Christianos dimicaret. Multis regionibus permigratis milites Romani Octodurum pervenerunt, oppidum in valle Rhodani situm. Ibi imperator ad recreandos animos sacrificia committi iussit. Mauricius autem propter fidem legionis suae Christianam se sacrificare posse negans una cum commilitonibus a ceteris militibus secessit atque castra prope Agaunum collocavit.

Quae cum imperator vidisset, severe iterum praescipuit, ut omnes deis deabusque immolarent. Mauricius vero intrepidus:

"Nos", inquit, "semper parati sumus ad imperium imperatorumque defendendum, sed non ad deis immolandum, cum isti non sint dei veri. Christo tantummodo domino nostro servimus!"

His auditis Maximilianus maxima ira incensus decimum quemque militum Aegyptiorum decapitari iussit. Ceteri hoc videntes scelus non deterrebantur, sed iterum se immolare nolle imperatori interroganti dixerunt. Tunc in tantum furorem exarsit, ut totam legionem interfici iuberet.

Tali modo Mauricius militesque eius - exceptis perpauca - obierunt aeternam vitam honori vano anteposcentes. Nonnullis iam annis post Agauni ecclesia aedificata est, cui postea monasterium est additum. Hodie Agaunum Francogallice St. Maurice vocatur, in honorem sancti Mauricii. In monasterio autem monachi per totum diem noctemque carmina canunt pia. Ite et audite!

Martinus Meier



De altero Lutetiam itinere facto

Iterum iter Lutetiam Parisiorum feci cum uxore eiusque coniugibus amicis. Quinque dies ibi versati Iove continenter pluvio, at nihilo minus impigre ambulantes, musea quoque visitantes et, cum hora adesset cenandi, tabernam intrantes multaque nocte, epulis vinoque satiati cubitum euntes. Nunc autem a principio narraturus sum tacens, quae indigna narratu putem, et dicens, quae delectare vos posse iudico legentes.

Iam primo die cum viā ambulabamus, quae "Boulevard des Capucines" appellatur, de improviso collegam Turicensem

conspexi, quem Turici, nostra in urbe, ab annis non videram. Nonnihil mirati casum et gaudentes inter nos consalutavimus, attamen, paucis verbis, ut fit, cotidianis factis valere iubentes dimittimur.

Meta nostra, a multis annis uxoris meae familiarissima, iam Turici nos telephonice certiores fecerat eodem se die ac nos Lutetiam adventuram et, si placeret, sub septimam post meridiem se ante fores Nostrae Damae, aedis cathedralis, nos exspectaturam. Nos autem museis visitatis defatigati sero ad deversorium nostrum reversi intelleximus nos ad tempus illuc pervenire iam non posse nisi taxiraeda (Taxi) vectos. At, ut fit, cum tempus urget, omnia obstabant quominus taxiraedam reperiremus. Quadrantem horae (Viertelstunde) ad angulum plateae Magdalenae exspectabamus taxiraedis (Taxis) praetervehentibus manibus significantes, ut cursus sisterent nosque tollerent. Dum autem uxor et amici impatienter signa faciunt taxiraedis nostrum incuriosis ego fanum (Tempel) illud Sanctae Magdalenae sacrum maximoque sumptu constructum mirabar meque tacitum et anxium interrogabam, quomodo possit fieri, ut homines, qui se christianos dicant, tam sumptuose templa aedificent in maiorem dei gloriam, dum homines innumerabiles eodem tempore fame pereant, fingebamque Christum vivum prae templo stantem magna voce exclamare "Quid mihi vobiscum! Ápage Sātana!" Quae mecum me volvente uxor subito: "Ecce taxiraeda!" exclamat. Et re vera ultimo puncto temporis raedarius quidam clementer nos sustulit et, quod magis mirabamur, in tempore ad cathedralem vexit, ubi Meta nostra ore renidente nos salutavit. Tum alacriter sermocinantes (plaudernd) narramus de rebus, quae hoc die contigerint, et tabernam intramus cenatum. Horae celerrime praetereunt nobis gaudentibus et subridentibus, quod Meta tam hilare narrat.

Postero die mane in deversorio ientabamus (frühstücken), cum Meta cenationem (Speisesaal) laeta intravit nuntians bibliothecam nationalem, ubi studiis operam datura fuisset, esse clausam seque, cum res ita se haberent, libenter nobiscum diem acturam. Laeti accepimus et paulo post coenautocinetum (Bus) conscendimus oppidum et castellum "Versailles" petaturi. Illic autem ego, ut qui iam anno ante castellum (le Palais de Versailles) visitavissem,

uxorem et amicos solos res illas visu mirabiles visitare iussi meque contuli ad tabernam vicinam acta diurna Gallice scripta (französische Zeitungen) lecturus. Illic paulisper me aliquando solum esse primo valde laetabar, sed duabus horis post paulatim inquires (Unruhe) me occupabat, cum iam non certus essem, num uxor sociique me reperire possent. Paulum solacii quaerebam in Baccho et tribus horis post sobrius (nüchtern) iam non eram, cum tandem caput Metae portam intrantis hilare conspexi liberatus metu. Etenim intraverunt, quod non dubitabam deinceps (nacheinander) ceteri tres. Laetitia in oculis meis et, quod dolendum erat, et Bacchus visus est. Uxor lagoenam (Flasche) vino vacuam in mensa cernens: "Tantumne vini", inquit, "tam brevi tempore hausisti?" Ego contra: "An nescis coffeae potum nervos mihi excitare, aquam autem ventrem implere?" Tum uxor subridens: "Scio vini bibendi tibi causam numquam deesse." Quod dictum sine ullo dubio opprobrio mihi erat. Cum autem bonam voluntatem et amorem uxoris semper mei curantis in verbis vultuque eius perspicerem, nihil ultra dixi. Ceteri tres amici non sine voluptate quadam e casu capta maligne subridebant, ut est amicorum, qui dicuntur. Tum autem epulis (Speisen) exquisitis a cauponio apportatis omnes laetati et in íntegram amicitiam reconciliati sumus. Cum tandem tabernā exiimus, nox erat, pluvia cesserat, ventus nubes caelo deteraserat (wegwischen) "et caelo fulgebat luna sereno". Ultimum coenautocinetum (Bus) conscendimus repetituri penates sive deversoria nostra.

Quae est narrationis pars prima. Si alterius legendae cupiditas vobis erit, facite sciam quaeso. Non plane indigna narratu confirmo esse, quae, exempli gratiā, ultimo die Lutetiae simus experti. Fingite vos, cari legentes, me fuisse, quippe qui tesseram vectoriam (Fahrkarte) amiserim! Tesseram scilicet itus et reditus (Hin- und Rückfahrt) Turico-Lutetiam.

Emanuel Bernard

De patientia Romam visitantibus adhibenda

sive

DE ROMA URBE AETERNA NARRATIO AB ALIIS NARRATIONIBUS DIVERSA

Narrationis pars finalis

Itinere ferrivia subterranea peracto in Platea Hispanica stabamus illas scalas admirantes, quae "Scalae Hispanicae" appellantur et mirabili modo exstructae a Platea Hispanica ad ecclesiam "Trinitas Montium" (Trinità dei Monti) nominatam ducunt. Hic uxor, quae Romam hoc itinere iam tertium visitabat, "Non comparandus est" inquit "harum scalarum aspectus cum illo, quem chartae postales coloratae de eis praebere solent. In illis chartis enim semper demonstrantur innumerabilibus floribus exornatae; et ego ipsa eas adhuc numquam tam tristes visu vidi, ut nunc sunt". Cum liberi limonatum bibere desiderarent, una thermopolium vicinum intravimus. Hic sermo noster cum caupone habitus casu ex aliis thematibus etiam ad Scalas Hispanicas versus est. Ergo cauponem interrogavimus, cur hae scalae nobis improvise floribus solitis ornantibus carerent. Tum caupo - vir Apollinis generis et feminarum oculos puellarumque in se vertentis - uxorem meam (sua, si habebat, non aderat) oculis devorantibus flagrantibusque lustrabat et ei ordinem dentium suorum candidorum monstrans respondit: "Autumno vivimus, amoenissima, quo tempore flores pulchri, quibus illae scalae ornentur, non iam inveniuntur. Tu quidem" continuavit "ipsa talis flos es; sit tibi flori pulchro flos pulcher!" Dum haec dicebat, ecce, uxori erubescenti rosam pulcherrimam, quam e vase vicino extraxerat, dono dedit. Postquam thermopolio relicto denuo in viam egressi sumus, uxor me interrogavit: "Nonne semper dico viros Italicos maxime amabiles esse? Cur taces, morose vultum? Num rivalitate captus es?" Ad haec nihil respondi, sed mecum tacitus "Cur Scalae Hispanicae non artificialibus floribus perennibus ornantur?" murmuravi...

Quae alia iucundissima Romam visitanti evenirent, demonstrabant dies, qui secuti sunt. Exempla duo hic addam: Inter alia mirabilia urbis Romae illis diebus etiam Plateam Navonam visitabamus, ut liberis rerum antiquarum cupidissimis formam amplitudinemque aedificiorum demonstraremus, ubi Romani antiqui ludos circenses celebrabant. Non dubito quin vos, cari legentes, memores sitis facti, quod Platea Navona hodierna super fundamento circi antiqui exstructa est. Quid morer? Mane stationem autoraedarum publicarum quaesivimus, ut iter ad Plateam Navonam faceremus. Ibi autem nullum tale vehiculum aderat neque ullum e magno flumine praeterfluentium ad nos appulit. Iam quartam horae partem frustra expectaveramus, iam pedibus vel ferrivia subterranea ire melius esse conveneramus - ecce, adproperavit aliqui custos publicus (Polizist, gendarme, policeman). Nos autem iam aliquod tempus, dum fluctum ingentem vehiculorum - tamquam gladiator - dominari conatur, observavisse videbatur; accurrit enim et super omnia tecta vehiculorum alta voce hilariterque clamavit: "Quid hic expectatis? Num autoraedam publicam? Frustra expectabitis: Hodie enim operistitium (Streik, sciopero, grève, strike) autoraedarum publicarum regentium! Sed aequo animo sitis! Pazienza! Vos iuvabo!" Quae cum dixisset, ecce, autoraedam custodiae publicae urbis, cuius insidentes collegas suos esse recognoverat, brevi sibilo acutissimo efflato gestibusque vivacissimis e medio chao vehiculorum derexit et apud nos stupefactos consistere iussit. Iam eius portae posticae nobis, ut intraremus, aperta sunt, iam insedimus, iam devecti sumus horribili velocitate, iam vehiculum regens ab uxore, quo vehi vellemus, instructus nos in nescio qua via Plateae Navonae finitima comiter egredi iussit, iam nos semper stupentes verbis "ciao bella, belle vacanze!" solos reliquit. Hic uxor "Nonne" interrogavit "semper dico viros Italicos maxime amabiles esse?" - "Ego saltem in terra aliena numquam sine te ullam excursionem facere audeam" respondi dubius, utrum uxor haec verba ambigua perspexisset necne...

Quinque diebus Romae felicissime iucundissimeque peractis in aeroplano sedebamus ab aeroportu "Ciampino" in patriam revolaturi. Longum tempus in solo iam illis horis matutinis calente in aeroplano sedentes profectionem expectare cogebamur, cum longe lateque in aeroportu nullum aliud aeroplanum videretur. Iam uxori "Non funziona?" murmuranti ego verbo "Pazienza!" respondi; sed improvise vox pilotae e megaphono audita est: "Cari vectores vectricesque, mihi modo nuntius ab aeroportum dirigentibus venit permissionem, qua denique avolemus, proxime datum iri; prius autem dari non posse quam alia duo aeroplana avolaverint. Ipse quidem nullum aliud praeter nostrum conspicio. Num quis vestrum in sedibus posterioribus sedentium unum videt?"... Qui risus tum inter nos exorti!

Non multo post denique levamur in auras, semper ridentes, tamen haud corde laeti, quod urbs totius orbis terrarum pulcherrima nobis erat relinquenda, cuius tecta monumentaque aeterna praeclarissima iam oculis nostris e caelo per minimas fenestras in altum despectantibus evanescebant...

Udalricus Aeschlimann

Facete lepideque dictum


Eripite canem ex aqua!



Canis: "Ferte auxilium mihi, subvenite mihi!"

AMICUS

Hic solutionem inscribe et chartam mitte!



SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für mit Rechnung an:)

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

Datum und Unterschrift

AZ

8050 Zürich

5+6/86

KALENDIS IVNIIS

MCMLXXVI



RVMOR VARIVS



RVMOR VARIVS
Postfach

8050 Zürich

TOMUS 9

FASC. 59